

apud *Simplicium* in Lib. II. de Cœlo Comm. 55. *Clepsydra* est vas angusti oris, latam habens basin parvis foraminibus perforatam, quod *hydropaga* vocant; itemque illa alia, quam ex *Michaële Ephesio* in Seminarium suum Philosophiæ Aristotelicæ transcripsit *Job. Baptista Bernardus*: *Clepsydra* est vasculum ferreum, superius os parvum & angustum habens, & inferius foramina densa & minima, cuius si quis superius foramen diligentissimè occluserit, per inferiora foramina non ingreditur aqua, nec ingressa egreditur.

Phæn. I.

Phæn. II.

VI. Enimverò ut hæc omnia, & plura alia porrò clario-  
ra evadant, age singula, tum vulgatiore tum rariore Phæno-  
mena & recens inventa artificia effectaque clepsydram, usi-  
tatâ nobis methodo distinctiùs enarrabimus; illud primo sta-  
tim loco iteratò commemorantes, quod clepsydra vulgaris,  
obturato superiore orificio, aquis erecto situ non sine notabili  
difficultate immersa [ut ad B. in Fig. 22. Num. 2. videre est]  
eas per aperta licet inferiora fundi foramina non admittat, ita  
sc. ut notabilem earum partem intra cavitationem sui ventris re-  
ciperet. Quæ postrema verba ideò notanter adjecimus, quòd  
nonnihil tamen aquæ per foraminula occlusæ licet superius  
clepsydre, ad tantillam, supra fundum altitudinem, ascendat,  
si paulò altiùs ipsa demergatur; ac tantò quidem plus, quan-  
tò profundius ea demissa fuerit: id quod evidens fit ex humo-  
re circa ima clepsydre labra, effracto ejus fundo, undiquaque  
conspicuo, circulum seu limbum occupante, nunc latiore  
nunc angustiore pro majori minorive immersione.

Phæn. III.

VII. Quemadmodum autem similia planè his Phæno-  
mena scyphus inversus & campana Urinatoria Part. I. Colleg.  
hujus Experimentalis Tentam. I. num. IV. V. IX. X. nobis de-  
derunt; sic ei, quod Part. hujus II. Tentam. itidem I. num. IX.  
adnotavimus circa campanam supernè perforatam, simile  
quid in clepsydra contingit; ut scilicet, recluso patuloque su-  
periore orificio, aquam inferius admittat ad eandem intus al-  
titudinem, ad quam extus demergitur: ita ut ore tenus merfa-  
rum